

12

MARCUS BELLI
DECANUS CAPITULARIS



BREVIS
de Capitulo Eccl. Cath. Concordiensis notitia



In PORTU ROMATINO
Ex officina typ. olim " Ditta CASTION "
MCMXXVI

Omaggio al dilettissimo
Maestro
24-7-'26

MARCUS BELLI

DECANUS CAPITULARIS

BREVIS

de Capitulo Eccl. Cath. Concordiensis notitia





In PORTU ROMATINO

Ex officina typ. olim "Ditta CASTION"

MCMXXVI



Origo.

SAECULO nostrae reparatae salutis quarto, S. Eusebius Episcopus Vercellensis, vim et utilitatem, quibus, virtutum christianarum exercitio ad bonos mores instaurandos, monastica instituta maxime florebant, vehementer admiratus, clericos suae Ecclesiae, ut communem vitam degerent, sicque eadem gratia fruerentur, penes se in unam sedem coëgit, cuius exemplum alii Episcopi secuti sunt. Exinde prima, quod omnibus qui res Ecclesiae Dei gestas saltem leviter attigerint iam satis constat, Capitulorum Cathedralium origo.

Ad Capitulum Concordiense quod attinet, eius mentio incidit tantummodo saeculo XI : etenim illis temporibus, ut apud *Necrologium Archivi Capitularis* scriptum legimus, Joannes II, Episcopus Concordiensis, Capitulum praedio ad Jussacum, in pago qui a Concordia Sagittaria et a Portu Romatino non longe abest, heredem scripsit; cuius fructibus, piacularibus precibus post ipsius obitum a Canonicis in perpetuum persolvendis, satisfaceret. At Capitulum Concordiense ante saeculum XI fuisse arbitramur, cum nemini dubium sit, quin Canonicorum Capitula in provincia ecclesiastica Aquilejensi iam inde a saeculo VI exstiterint.

Monasticae disciplinae instauratio.

« Invisa primum desidia, postremo amatur » ; ideoque, succedentibus temporibus, Canonici a pristina religione desciscentes iterum in profanae vitae consuetudinem abire coeperunt. Hinc disciplinae instaurandae necessitas. Quod ut rite perficeret, Gerardus Ep. Conc., anno circiter 1177, in possessionem bonorum Ecclesiarum Concordiae et S. Georgii de Richinvelda Canonicos immisit, ea tamen condicione, ut Regulae praecepta diligenter servarent, eiusque precibus Alexander III Pontifex, Bulla IV. Non. Maias a. 1178, Capitulum Conc. in fidem S. Sedis Ap. recepit.

Instauratio vitae communis, quam supra diximus a Gerardo statutam, nonnisi duodecim post annos a Romulo Ep. in morem perducta est, qui alias Plebes (Pievi o Chiese matrici) Capitulo dono dedit, voluitque ut, Metropolitae auctoritate, definito Canonicorum numero, ipsius et Episcoporum superiorum donationibus confirmatis, communis vitae ratio in pristinum restitueretur.

Quae omnia Gotefridus Patriarcha Aquilejensis, Decr. a. 1191, et etiam Coelestinus III Papa, Bulla diei 5 mensis Aprilis a. 1193, rata habuerunt.

Saeculo XIII omnes Episcopi Concordienses vitae communis Canonicorum studiosi fuerunt, quos inter ceteris praestat Fridericus e Comitibus de Purliliis quam qui maxime in Capitulum beneficus.

Fratres, Praepositus, Decanus.

Canonici monachorum more aetatem agentes *Fratres* appellabantur. His *Praepositus* Capituli, prima Dignitas, ut ipsum nomen sonat, praeerat. *Praepositi*

erat rem familiarem gerere et iis quae ad vitae usum pertinent cavere ac providere. *Decanus,* altera Dignitas, sacrarum divinarumque rerum iurisdictione in Canonicorum conlegio pollebat. Cum autem *Praepositi* suis iuribus immodice uterentur, deinceps factum est ut haec Dignitas fere ubique tolleretur.

Ceterum haec sanctissima vivendi ratio, quam Gerardus omni studio et industria, tantis animorum bonis Clero et christianae plebi profuturam, instaurandam curaverat, tam in Nostro quam in omnibus Provinciae Aquilejensis Capitulis, brevi, quod maxime dolendum est, obsolevit.

Praebendae separatae.

Sublatam vitae communis rationem necessario sequitur Praebendarum divisio. Nomine *Praebendae* ea portio fructuum designatur, quam Ecclesia *praebebat* Canonicis singillatim viventibus.



Prima Praebendarum Canonicorum Concordiensium partitio die 14 mensis Januarii a. 1276 peracta esse videtur.

Iuvat documentum ex Actibus Capitularibus (ad ann.) *ad verbum* afferre:

« In Dei nomine, anno eiusdem millesimo duo- « centesimo septuagesimo sexto, indictione quarta, die « Martis quartadecima intrante Januario ».

« Dom. Antonius decanus et capitulum ecclesie « concordiensis, videlicet D.D. Bernardus de Ragonea « prepositus. Matheus de Mels, Mansottus archidiaco- « nus, Poppo, Federicus de Attimis, Leonardus de « Faugnatio (Faugnacco), Belusius Leonardus de Utino, « presbyter Leo sacrista et Brisa de Toppo canonici « concordienses in capitulo more solito congregati, ple-

« bes suas de Concordia, de Tileo, de S. Georgio, « de Maniaco ed de curia Naonis inter se pro sati- « sfactione viginti librarum denariorum parvorum pro « vestibus, quas quilibet canonicus habebat ab ipso ca- « pitulo annuatim, quo minus bene et interdum non « sine scandalo antequam fieret predicta divisio sol- « vebantur, unanimiter et concorditer diviserunt isto « modo, videlicet quod plebs de Maniaco, sit et esse « debeat D. D. Bernardi prepositi, Mathie de Mels et « Leonardi de Faugnatio et eorum successorum pro « viginti libras venetorum parvorum pro quolibet an- « nuatim pro vestibus suis ».

« Plebes de Tileo et de Portu Veteri D. D. An- « tonii decani concordiensis pro prebenda sua viginti « librarum denariorum venetorum, et pro Decanatu « concordiensi viginti librarum denariorum, et Magni- « fici Leonardi de Utino pro viginti libras denario- « rum venetorum parvorum et successorum suorum « pro vestibus suis. Plebs de Curia Naonis sit et esse « debeat ratione prebende concordiensis D. Mansotto « archidiaconi concordiensis integraliter pro viginti li- « bras denariorum annuatim in vita sua tantum, et « dum fuerit canonicus concordiensis. Ita tamen, quod « ille qui succedit sibi in prebendam non succedat, « nec succedere debeat vel possit in plebe predicta, « et predicta plebs cum omnibus juribus suis ad ipsam « plebem spectantibus D. D. Mansotto mortuo, vel pro- « moto, ad concordiense capitulum devolvatur. Plebs « vero S. Georgii sit et esse debeat D. D. Magnifici « Bernardi, et eorum successorum pro viginti libras « denariorum parvorum pro quolibet annuatim pro « vestibus illorum. Et plebs de Concordia sit et esse « debeat D. D. Federici de Attimis, Brise de Toppo

« et Vulvini de Portis, et eorum successorum pro viginti libras denariorum pro quolibet annuatim ».

« Et has plebes superius nominatas canonici memorati, et eorum successores ammodo habeant, teneant et possideant cum omnibus juribus et rationibus ad ipsas plebes spectantibus et ad institutionem et destitutionem vicariorum ac etiam cum jure archidiaconatus ad eas spectante, ipsarumque plebium proprietate et titulo ipsi capitulo reservatis. Ita tamen, quod quandocumque aliquis canonicus decesserit, vel ad alia promotus fuerit, ille qui major et antiquior est canonicus in prebenda possit et valeat acceptare partem plebis illius defuncti pro suo libito voluntatis, et facta prius acceptatione, ille qui partem acceptavit canonici defuncti, alias promoti ulterius variare non possit. Et sic gradatim faciant singuli canonici successive, et hanc divisionem et ordinationem statuerunt predicti Decanus et capitulum concordiense in perpetuum perdurare et inviolabiliter et irrevocabiliter observari. Et ad majorem rei evidentiam et perpetuam et stabilem firmitatem presens instrumentum fecerunt et sigillo sui capituli sigillari. Actum in choro majoris ecclesie concordiensis etc. ».

« Ego Galvanus Hirmo sacri palatii not. interfui ac unum vel plura ejusdem tenoris instrumenta de voluntate ipsius capituli scripsi ».

Ita vitae communis ratione omnino mutata, Episcopi concordienses deinceps novas Constitutiones temporibus aptas et a Summo Pontifice Gregorio XI (Bulla XI Kal. Maias a. 1374) confirmatas Capitulo dederunt.

Praebendarum optatio saepe inter Canonicos con-

troversiarum causa fuit; quod patet, ut uno saltem utamur exemplo, ex sententia lata a Viviano de Polcenico Vic. Gen. a. 1349 die 3 mensis Septembris.

Capitulum Concordiense post Concilium Tridentinum.

Peropportuna S. Concilii Tridentini decreta Capituli concordiensis Constitutiones nonnihil temperaverunt. Ut cetera minoris momenti praetereamus, digna memoria est stabilis et firma Praebendarum designatio. Etenim, anno 1584, Caesar Nores Ep. Parentinus, Dioecesis nostrae Apostolicus Visitator, praescripsit, ut « consulto prius SS. Domino » ex Praebenda, quae olim « Pro salario Vicarii Generalis » inscribebatur, Praebenda theologalis constitueretur; item, anno 1587, Bulla diei 13 mensis Aprilis Papae Xysti V, Praebenda Archidiaconi sublata est et post nonnullos annos, i. e. die 21 mensis Iunii a. 1608, Praebenda Poenitentiarii in eius locum substituta.

Postquam, Indulto a. 1586, ob caeli gravitatem, Xystus V Papa Capitulo residendi in Portu Romatino potestatem dedit, certis quoque anno tantum diebus Concordiam, in antiquam Ecclesiae Cathedralis sedem, ad sacra celebranda, Canonici conveniunt.

Qui dies sunt:

Dies natalis S. Stephani Protomart. Dioecesis Patroni;
Feria II^{a} post Festum Paschatis;
Dominica II^{a} post Pascha;
Inventio S. Stephani Protomart.;
Dedicatio Ecclesiae Cathedralis.

Canonici, qui olim 14, deinde 12 fuere, nunc, post

publicas leges de bonis Ecclesiarum alienandis, sex tantum numerantur :

Praebenda Decanalis;
Praebenda Theologalis;
Praebenda Poenitentiaria;
Praebenda Del Bosso;
Praebenda Emo;
Praebenda Castellana.

Ad Capitularem familiam duo alii sacerdotes pertinent: alter Caerimoniarum Praefectus, alter Cantus Gregoriani Magister.

Canonici, qui sunt Parochi Ecclesiae Cathedralis S. Stephani Protomart., curam animarum *habitualem*, Concordiae, per sacerdotem illius Ecclesiae Rectorem ad id delegatum exercent.

De quibusdam Canonicorum Concordiensium iuribus.

Gotefridus Patriarcha Aquilejensis, cum unionem Paroeciarum, quas Romulus Mensae Capitulari addixerat, ratam haberet, Capitulo ius in iisdem habendi *Placitum Christianitatis* confirmavit.

Electio Canonicorum et collatio Praebendarum, ex Ecclesiae communi instituto, olim simul ad Episcopum et ad Capitulum spectabat; at Canonici concordienses, ut constat ex Actibus Capitularibus, hoc ius non *simultanee*, sed *cumulative* exercuisse videntur.

Quod ius suffragii — vitione an privilegio incertum est — serius proprie apud Capitulum fuit, diuque permansit, etsi Antonius Phelettus Ep. Conc., a. 1473, illud sibi vindicare studuerit. Nunc vero ad normam C. J. C. res temperatur.

Ius eligendi suos Episcopos, non sine approbatione Summi Pontificis vel Metropolitae, quod media aetate viguit et usque ad exitum saeculi XIV stetit, maximum privilegium Capituli nostri fuit.

Concordiae, in Dioecesis capite, Capitulum rei publicae administrandae intererat, ibique in vicem cum Magnifico illius Comunitatis Concilio, Potestatem, Iudices, Syndicos, Cives iuratos et alios inferioris ordinis Ministros eligebat. Quam eligendi rationem Veneta Respublica, Decreto diei 18 m. Aprilis a. 1782, penitus sustulit; sed amissum Capituli ius, tributo 50 ducatorum annuatim a Concordiensi Municipio Mensae Capitulari solvendo, explevit.

Insuper Capitulum Concordiense iurisdictione civili in oppido de Rivolto, quod trans Tilleamentum est, fruebatur; qua ex re usque ad annum 1655, cum ceteris populi legatis legibus ferendis, publico *Patriae* coetui saepe interfuit.

Ex iure patronatus nonnullarum nostrae Dioecesis Paroeciarum, quod Capitulum fere usque ad id tempus exercuit, Canonici post C. J. C. editum sponte decesserunt.

Peculiares Capituli Concordiensis honores.

Aloisius Maria Gabrieli Ep., adprobante Veneto Senatu (Decr. d. 29 m. Aprilis a. 1772), Canonicos Concordienses peculiaribus honoribus, ad maius sacerdotalium vestium ornamentum, insignivit; deinde, ineunte saeculo XIX, Jos. Maria Bressa Ep., ut *Almo Protonotariorum Apostolicorum Collegio de numero Participantium* Capitulum Cathedrale adscriberetur, a Summo Pontifice Pio VII impetravit (Brevi III Id. Septembres a. 1806). Qui maximus honor testis est

antiquitatis Dioecesis Concordiensis, idemque constantis fidei, qua Capitulum nostrum Apostolicae Sedi semper adhaesit

Hic finem scribendi facimus, id unum vehementer optantes, ut Canonici nostri pietate, doctrina et salutis animarum studio praestantes, omnibus exemplum sint bonorum operum.

Scribebam in Portu Romatino pridie Kal. Iunias a. 1926.

Can.us MARCUS BELLI
Decanus Capitularis



VISUM, imprimatur.

Portusgruarii, die 15 Julii 1926.

Can.us P. SANDRINI, V. G.